

est: Ergo repugnat talis actus, qui simul sit fidei humane, & divine. Quarto: Quia dato, quod assensus revelationis simul esset fidei divine, & humane, vt vult Sendin, & Scorus, non moveret ad fidem mysterij, vt fidei humane, sed vt divine: Ergo nec revelatio moveret, vt credita fide humana, sed vt credita fide divina. Probatur antecedens: Quia vt bene adverteit ipse Sendin num. 105. *Assensus revelationis, vt est fidei divine, pure accidentaliter respicit motivum auctoritatis humane, quoniam hanc non exigit, eo quod adequatum motivum precise habet in auctoritate divina:* Ergo pariter assensus infallibilis mysterij non moveretur per se ex fide humana revelationis, sed solum ex fide divina, fides autem humana omnino per accidens se haberet, nec illam exigeret assensus mysterij.

13. Obiter autem nota contradictionem in predicto Authore, nam ex vna parte in eodem num. asserit: *Assensum fidei divine semper esse mixtum ex utraque fide, & aliunde inquit, quod vt fidei divine hanc non exigit, scilicet, fidem, & auctoritatem humanam:* Si illam non exigit, vnde inserit, quod semper est mixtus ex illa? Cur aliquando saltem esse non poterit sine illa? Quando quidem illam pure per accidens respicit, & illam non exigit, sed adequatum eius motivum precise habet in auctoritate divina.

14. Secundo probatur conclusio: Quia revelationis existentia credi potest, & debet fide divina: Ergo movere debet ad fidem mysterij, vt credita fide divina, & non fide humana. Consequenter patet: Quia fides divina moveri debet ex revelatione credita perfectiori modo, quo possit, & maiori certitudine possibili cognita, vt euadat summè certa. Et item, quia contrarij ex eo potissimè probant, quod sufficit revelatio, vt credita fide humana, quia de ipsa revelatione non potest haberi maior certitudo. Antecedens autem probatur: Quia existentia revelationis est immediatè de fide, non minus, quam cætera mysteria: Ergo credi potest, & debet fide divina, sicut cætera mysteria. Antecedens probatur, primo: Quia existentia revelationis est in Scriptura revelata sapissimè non minus, quam cætera mysteria, nam sapissimè dicitur in Saero Textu: *Hec dicit Dominus: Hec dicit Dominus: Factum est verbum Domini ad me dicens, &c.* Imò, & ipse Christus dicebat: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me Patris.* Et Apost. inquit: *An experimentum queritis eius, qui in me loquitur, Christus:* Ergo revelationis divine existentia revelata est immediatè in Saero Textu, non minus quam cætera mysteria: Credi ergo debet fide divina: Vt quid

ergo credenda erit fide humana, vt moveat ad fidem?

15. Ex quo obiter inferes, contra Scotum, & alios AA. supra citatos, minimè requiri, quod revelatio credatur fide humana, vt moveat ad fidem divinam; quia ad summum requiri potest, quod prius credatur: Sed credi potest, & debet fide divina, & aliunde dum creditur fide divina, superfluit humana: Ergo.

16. Dices, non posse credi fide divina, quin credatur per humanam, quia motiva credibilitatis, quæ semper concurrunt, sunt motiva auctoritatis humane, quia suadent existentiam revelationis; dum autem intellectus movetur ex vi auctoritatis humane, non potest non credere fide humana, quamvis simul credat fide divina, vt motus ab auctoritate divina. Sed contra: Quia, vt forsitan infra probavimus, potius implicat, quod si creditur fide divina, credatur simul fide humana, quia fides humana, & divina respectu eiusdem obiecti, repugnant; nam intellectus in præsentia auctoritatis divine movetis, moveri non potest ab auctoritate humana in actu secundo: Ergo. Contra secundo, quia motiva auctoritatis humane, etsi concurrant cum motivo auctoritatis divine, non movet necessario ad assensum, sed pure liberè, & cum in differentia, saltem quoad exercitium: Ergo potest intellectus non moveri ex motivis auctoritatis humane in actu secundo, sed solum ex motivo auctoritatis divine. Tertio: Quia motiva credibilitatis, vt suo loco dicemus, non semper sunt motiva auctoritatis humane, sed motiva scientiæ, & evidentie: Ergo quamvis opus sit, quod concurrant motiva credibilitatis, non requiritur, quod concurrant motiva auctoritatis humane ad fidem humanam de revelatione extorquendam: Non ergo opus est credere fide humana revelationem.

17. Tertio probatur conclusio, quia per ipsum actum fidei circa mysterium attingitur revelatio, vt motivum assentiendi mysterio, vt probavimus supra *quæst. 6.* nec revelatio movet, nisi vt acta intrinsecè per ipsum assensum mysterij: Sed assensus mysterij est fidei divine: Ergo revelatio solum movet, vt credita fide divina, non ergo vt credita fide humana.

S O L V I T U R O B I E C T I O
in contra.

18. **C**ontra dicta vnicuique militat argumentum, illudque commune: Nimirum, quia vt intellectus moveatur ex revelatione, prius certificari debet de existentia revelationis: Sed antequam